

AN. 534, 1/2

B. 11

II C
1670

IOHAN=
NIS FRANCISCI
RIPENSIS ELEGIA=
RVM LIBER
PRIMVS.



VITEBERGAE.
EXCVDEBANT HAERE=
DES GEORGII
RHAVV.



1554

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

17. 11. 1885

JOHANN

WILHELM

VITBERGAL

DR. GEORG

11

BIBLIOTHECA
POSIGWALDIA



IOHANNIS FRAN-
CISCI RIPENSIS ELE-
GIARVM LIBER
PRIMVS.

AD CLARISSIMVM
VIRVM EXIMIA STEM-
MATIS NOBILITATE, DOC-
trina atq; uirtutibus ornatū, D. Iohan-
nem Frisium R. M. sum-
mum Cancellari-
um.

ELEGIA I.

Fortia ceu sincera solet *πρῶτα μματα* mater
Pectoribus gnati nectere saepe sui,
Inuidia tristi quo diris atq; malorum
Incantamentis tutior esse queat,
Sic ego confido latranti Zoilon ore
Nil nisi qui tantum ledere mentis habet,
Ut minus arrodant mea scripta, minusq; lacessat
Ponere liuori me quasi frena suo,
Nomina cum nostris uideat tua fixa tabellis
O per quam doctis nomina grata uiris.

A ij

Ergo

IOHAN. FRANCISCI

Ergò tuum nomen, ueniam des, docte sororum
O cultor, nostrum fiximus ante librum.
At mea quàm uereor ne sit tibi grata Thalia
Deq; tuo ne sit nomine digna loqui.
In te uera piæ doctrinæ semina fulgent
Atq; salutiferæ religionis amor.
Virtutisq; sacræ per te doctrina reuixit
Atq; bonis studijs te duce constat honos.
Adde quòd ex tali duxisti sanguine stirpem
Ac tantis felix natus imaginibus,
Nemo ut nobilium priscorum siue recentum
Præniteat uera nobilitate prior.
Nobile quippe trahis non tantum nomen auorum
Stemmata, magnanimi sanguine siue patris.
Virtutem claro iungis cum stemmate ueram:
Hic est præcipuus nobilitatis honos.
Non secus atq; nitens picturam splendor honorat
Egregiam, quæuis laudat & harmonia.
Quin etiam mira pingit, quoq; luminat arte
Artificis factum munus & ingenium.
Sic sacra si coniuncta uenit cum stemmate uirtus
Iunctaq; fortunæ dotibus ambigæ,
Nescio qua ratione queat sublimior ullus
Dici, naturæ quem bona tanta beant.
Hæc in te purè pariter simul omnia splendent:
Stemmata tum clarus, clarus es ingenio.

Cum

ELEG. LIB. I.

Cum prius hæc uiridi sum præmeditatus in umbra
 Quam sunt ingenij munera multa tui.
 Incepi subito nostris defidere coeptis
 Destitit ulterius paruula musa loqui.
 Mittere scripta uiro nimium nam nostra uerebar
 Ornato tantis dotibus ingenij.
 Tunc Dea laurigeras inter pulcherrima Musas
 Caliope, uultus astitit ante meos.
 Atq; benigna pijs his uocibus ora resoluit,
 Solueret ut trepido pectora nostra metu.
 Heus iuuenis dubia tandem qui mente teneris
 Cuius sunt tristi corda repleta metu.
 Protinus inceptum pergas finire laborem
 Nulla tuum prorsus cura retardet opus.
 Fortiter ipsa tuis præsens conatibus adsim
 Voce mea uersus fortificabo tuos.
 Aonias nunquam contempsit hic antè Camœnas
 Imò fuit Musis fomes et aura sacris.
 Ista minus blando capiet quid carmina uultu?
 Quæ sunt auspicio carmina scripta meo.
 His ego commotus, tibi, uir uenerande, dicanda
 Censebam Musæ germina prima meæ.
 Ergò precor nostrum placida lege mente libellum
 Quem scripsit duro musula nostra stilo.
 Carminibus nitidos leuibus postpone lapillos
 Carmina diuitijs sint potiora uagis,

IOHAN. FRANCISCI

Vivere nam magnos faciunt post funera reges
Noticiam seræ posteritatis habent.
Hectoris an quisquam nunc nosset facta ferocis
Si non Mœonio carmine nota forent?
Ergò Narycius semper celebratur Vlysses
Est dum Smyrnæi nobile uatis opus.
Te quoq; congestis mea signet Musa tabellis
Quæ uiget in laudes ingeniosa tuas.
Notaq; sint longos post nos tua facta per annos,
Et tua post uirtus funera morte uacet.
Nunc tantum nostras placido cape corde Camænas
Et qua mittuntur, te rogo, mente legas.
Grata fuere duci Persarum rustica poma
Hic nam quæ poterat munera ferre, dabat.
Sic ego quæ possum, quamuis uilissima, mitto
Munera iudicio nostra probanda tuo.
Non iacula in nostris seruantur plura pharetris
Nostraq; non alias cura reseruat opes.
Ergò boni, quos nunc tibi mitto, consule uersus
Atq; patrocínio fac tueare tuo.
Sic quoq; uenturum melius firmata per œuum
Nostra tibi maius Musa laboret opus.

AD LIBRVM.

ELEGIA II.

Parue

ELEG. LIB. I.

Parue liber confecte mihi iuuenilibus annis
 Tun' dominum linques tam citò quaeso tuum?
 Hei mihi quã uereor si scrimia nostra relinques
 Ne subeas multis multa dolenda modis.
 Plurima cogêris duræ conuitia linguae
 Plurima cogeris non toleranda, pati.
 Forsitan & finget non æquus carmina lector
 Quæ poterunt miseris te lacerare modis.
 Posthæc te uerbis sæuis agitare studebit
 Et uitium pedibus dicat inesse tuis.
 Quod magis est, rutilum forsân iacieris in ignem
 Te quando reputet criminis esse reum.
 Te quæcunq; tamen potis est fortuna manere
 Ferre iuuat, ceptum non remorabor iter.
 Vade sed incultus, qualem te nostra Thalia
 Fecit, quæ prorsus paupere fonte fluit.
 Vade bonis auibus precor, & loca grata saluta
 Præmia quæ lactis prima dedere mihi.
 Et si quis quærat, quid agam, me uiuere dicas
 Hic ubi Leucoreos irrigat Albis agros.
 Artibus ingenuis quoq; nos incumbere dicas
 Quas omni cura, doctæ Philippe, doces.
 Inuenies aliquos qui te fortassis amabunt,
 Atq; suos cupient te subiisse lares.
 Nam mihi sunt isthic coniuncti fœdere amici
 Quos ego sincero corde, fideq; colo.

A iij

Quod

IOHAN. FRANCISCI

Quod liber Armenio non es conspersus amomo
Et tua non Tyrio pagina picta croco.
Quod tibi non uestes fulgenti murice tinctæ,
Trita sed est humeris fixa lacerna tuis:
Non pudeat subito discedere limine nostro
Nec fugias longum carpere solus iter.
Nam tu quo uenies, doctorum turba uirorum est
Numine quos sancto docta Minerva fouet.
Munera Cecropiæ contemnunt nulla Mineruæ,
Nullos, Thespiadum qui pia dona ferunt.
Ad tales quando uenies, et copia fiet
Fandi, curuato poplite pauca refer.
Hos ego quos Elegos, Musarum ô fama sacrarum
Affero, sincera sumite mente precor.
Fortè dabunt uestris quæ non indigna putetis
Auribus, et studijs non aliena sacris.
Ni fallor, tunc quisq; tui flagrabit amore,
Teq; suum proprium quilibet esse uelit.
Inter conuiuas hilares si quando legèris
Nostræ fortunæ te meminisse decet.
Non tibi plura liber uolui mandare, sed ista
Quæ sunt dicta prius, pectore fixa tene.

DE CIVITATE RI=
PENSI ELEGIA III.

Annue

ELEG. LIB. I.

A Nnue Caliope nostris modò quaeso camœnis
 Quo possint aptis claudere uerba modis.
 Cum tua Pierijs uox sit quoq; grata puellis
 Fac etiam ueniant in mea uota simul.
 Sic opus æternum uestro memorabile cantu
 Aequis cœlitibus tibia nostra dabit.
 Est locus insignis gelidis uberrimus undis
 Ex ripa R I P A E dicitur ille maris.
 Fluctibus alluitur resonis uelut urbs Venetorum
 Quæ semper rapidis tota rigatur aquis.
 Est cui pro portis Nereus grandeuus ahenis
 Cui pro cœruleum mœnibus œquor adest.
 Fortiter his etiam depellunt mœnibus hostes
 Insidijs urbem qui uiolare uolunt.
 Hic locus aptus erit uobis, lætisq; deabus
 Quæ quoq; Musarum mystica sacra colunt.
 Hic habet excultos pomis radiantibus hortos
 In quibus herbarum nomina multa uirent.
 Fragrantes flores, nec non & amœna uireta
 Hunc circumfrondens undiq; campus habet.
 Ergò precor Musæ faciles mihi adeste, Camœnæ
 Dum celebrant numeris tam loca grata mea.
 Propositi uerùm unde traham primordia tanti?
 Res hæc non nostro conuenit ingenio.
 Ergò nihil prorsus tenuis tentabit Apollo?
 Et mea quæ uena paupere Musa fluit?

IOHAN. FRANCISCI

Dij melius : quamuis non summa cacumina possent
Scandere , radicem est linquere nolle scelus.
Smyrnæi uatis num quisquam æquabit honores?
At stimulus nostris uatibus ille fuit.
Quiq; suæ patriæ uera dulcedine moti
Laudibus innumeris semper ad astra ferunt.
Vrbs ergò Hessiaca floret nunc Norica musa
Carminibus multò est notior Hesse, tuis.
Sic passim celebris nunc est quoq; Marchica tellus
Quod tribuet numeris, culte Sabine, tuis.
Quid referam plures uenerantes sacra Sororum
Quod proprios auctos laudibus esse uelint.
Hoc zelo motus, non captus laudibus ullis
Cantabo laudes, patria cara, tuas.
Quis te non meritò laudabit patria tellus?
Virtutesq; tuas quis reticere uelit?
Siue ego conspicio turres , seu templa Deorum
Seu sacra quæ ueterum sunt monumenta patrum.
Hæc reor admirans magnorum opera esse Gigantum
Quos Deus in tumidas fulmine mersit aquas.
Ardua stans turris quæ tollit ad æthera muros,
Vlnas bis centum, bis tenet, atq; duas,
Ad quam fluctuagus deducit carbasa Nauta
Feruida qui ignotis æquora sulcat aquis.
Credite , non talis nostris est ulla sub annis,
Nec fuit antiquis (ut puto) temporibus.

Quid

ELEG. LIB. I.

Quid multis laudare iuuat sacra templa Deorum?
 Dogmata sinceræ religionis habent.
 Sincera populi uenerantur mente parentem
 Et Christum uera religione colunt.
 Qua ratione tuas quoq; dicam carmine laudes
 Curia, magnificum regia sancta uirum.
 In te proponunt sacrarum dogmata legum
 Ciuibus ut niteant moribus usq; bonis.
 Dicere quàm magno sit & ædificata labore
 Credas ingenij non opus esse mei.
 Malo tacere igitur, iuuenili fortè Camœna,
 Quam cupiam laudes dedecorare tuas.
 Insuper arx una iacet urbis parte superba
 Quæ circum tumidis usq; rigatur aquis,
 Coctilis hanc circum est qui fertur ad æthera murus
 Quem cingit murmur subsilientis aquæ.
 Vndiq; post etiam stat inexpugnabile uallum
 Quod nullo frangant Martia tela modo.
 Aedibus in medijs splendent monumenta uirorum
 Quæ sunt argento candidiora nouo.
 In medio saliens fons riuos ducit aquarum
 Quem quondam doctæ composuere manus.
 Quid iuuat armorum quoque dicere nomina seua
 Quis hostis pugnae sollicitandus erit,
 Tot gladij, tot sunt balistæ, totq; bipennes
 Tot glandes quot sunt sydera clara poli.

Non

IOHAN. FRANCISCI

Non igitur mirum, si firma pace quiescit,
Vrbs hostes rigidos quæ cohibere potest.
Aspice quàm ciues coniuncto pectore uiuant
Quamq; colant uera relligione Deum.
Dum fidos iungit simplex concordia ciues
Vrbs nulla frangi seditioe potest.
Præsidio quo quisq; potest succurrit egenis
Quæis larga præbent munera multa manu.
Hæc sunt dona Deo semper gratissima summo
Hæc sunt laudatis munia digna uiris.
Illis ergò Deus rursus sua munera donat
Quæ reputes summis anteferenda bonis.
In primis regem: quo non est fortior alter
Nec tam iusticiæ, tam pietatis amans.
Huius quid referam generosi stemmatis ortum
Nobilior ueterum sanguine nemo fuit.
Quin & amica dedit stellantis numina cœli
Lumine quæ faciunt sydera clara suo.
Ergò uenenatus grassatur in aëre nullus
Morbus, quo uiuens inficiatur homo.
Hic locus ergò magis præstantia corpora profert,
Corpora quæ florent dotibus ingenij.
Innumeros, huius celebris Schola protulit urbis
Doctrina claros moribus atq; uiros.
Non etiam desunt iuuenes nunc castra sequentes
Militiæ castæ, docta Minerva, tuæ.

Gradiuo

ELEG. LIB. I.

Gradiuo Marti satis est & prompta iuuentus
Possset pro patria quæ fera castra sequi.
Si memorare uelim quoq; munera uestra puellæ
Vel tantum formæ si bona uestra canam.
Iuppiter hanc ipsam miretur pectore formam
Iuppiter ætherei clarus honore poli.
Quid mirum forma nymphas excellitis omnes
Vincere uos nequeat uel cytherea Venus.
Ambrosias facies tribuit Deus, atq; lacertos
Quales uix quondam candida Iola tulit.
Corpora quid multis laudem? laudantur honestæ
Mentes, quas ornat casta pudicitia.
Commendat decus hoc summum quoq; pectora uestra,
Pectora quæ turpi sunt aliena lue.
O mihi cum tali liceat quoq; uiuere nympa
Consortem thalami si mihi fata dabunt.
Excelsas ædes taceo, quoq; regia tecta,
Pluraq; quæ tenuis scribere musa uetat.
Non capit exiguum tantæ urbis pondera carmen:
Est grandis nostro nullus in ore sonus,
Mæonio si me docuisset Phœbus in antro
Oraq; Castalia nostra rigasset aqua.
Et me quale prius blando concesserat Orpheû
Caliope, sineret ludere dulce melos.
Vix iuuenilis adhuc resonaret fistula carmen
Quod possset meritis æquialere tuis.

Sed

IOHAN. FRANCISCI

*Sed mihi post longos si Parca indulserit annos,
Maior erit nostris gratia carminibus.
Tunc ego Pegaseos ausim perrumpere fontes:
Verba struat cultis nostra Thalia modis.
At quos nunc tenero uersus confecimus æuo
Quos tibi nunc mitto consule queso boni.*

AD M. IOHANNEM
THAVSANVM DIOECESIS RIPEN-
SIS SVPERATTEN-
DENTEM.

ELEGIA IIII.

O Heliconiadum celeberrima fama sororum
O decus, ô patriæ gloria magna meæ.
Non licet exiguæ stringant tua pectora curæ
Quæ partis seruant munia uera tuæ.
Dum diuinarum suprema negotia rerum
Tractas, demonstrans quæ sit ad astra uia.
Attamen interdum curis releuatus acerbis
Cum nullum quod agas grandius obstat opus.
Hæc mea quæ tenero tibi carmina scripsimus æuo
Carmina iudicio missa legenda tuo.

Te precor

ELEG. LIB. I.

Te precor ex animo, ne tristi despice uultu
 Illa nec abiecto pectore quaeso legas.
 Forsan at obijcies, quæ te dementia coepit
 Quòd mittis duro carmina scripta stilo?
 Non finit hæc labens me uoluere ludicra tempus
 Nec finit officij sedula cura mei.
 Iure quidem dicas: at ludicra rebus honestis
 Sunt miscenda, uelut seria uera iocis.
 Ipse nec ignoro quòd summa negotia tractes
 Proponens summi mystica sacra Dei.
 Sacra salutiferi spargens quoq; dogmata Christi
 Illius & uera dogmata luce nouans,
 Scilicet hæc stygio reuocasti primus ab orco
 Obruta cum patrijs antè fuere plagis,
 Impositos alios tibi, sponte tacebo, labores
 Quos parit officij sparta sacrata tui.
 Quot Riphæa creat concretas bruma pruinas
 Et quot dura parit frigora tristis hyems.
 Tot simul ambiguae curæ, duriq; labores
 Impendunt humeris, uir uenerande, tuis.
 His non neglectis, aliquid des quaeso Camœnis
 Temporis, ut placidè carmina nostra legas.
 Sic Deus ætherei summus regnator Olympi
 Omnibus his meritis munera digna dabit.
 Interea longos quaeso te seruet in annos
 Filius æterni, uerus Apollo, Dei.

Ad D.

IOHAN. FRANCISCI
AD D. PHILIPPVM
MELANTH. PRAECEPTOREM
SVVM CARISSIMVM
ELEGIA V.

Sive uel Hesperias uel Eoas tendis in oras
Ingrato uideas durius esse nihil.
Foedere coniunctos dulces disiungit amicos
Et uiolat caræ foedus amicitiae,
Si tibi pro meritis nollem persoluere grates
Me nihil in toto turpius orbe foret.
Sol atomos quot habet, quot paruas æquor arenas
Quot uiridis suaues continet hybla rosas,
Lumina quot uoluit celsum splendentia coelum
Prestita sunt à te tot benefacta mihi.
Munera quanta dabas, tenuit dum feruida febris
Hausit dum tristis pectora nostra sitis.
Illa queo paruo nunquam memorare libello
Hoc mea si tantum musa labore opus.
Illud prætereo quanta mihi dexteritate
Proponis uerum relligionis iter.
Ergò prius rutili flagrantia sydera coeli
Cernes non proprias ire redire uias.
Flammifero curru Titan remeabit ad ortum
Quadrigas fratris scandere Luna uelit.

Et prius

ELEG. LIB. I.

Et prius in tenues discedet spiritus auras
Quàm pereant animo tot benefacta meo.
Si uel ad antipodas subito me fata uocarent
Non possem meriti non meminisse tui.
Hoc testabuntur Charites, sacræq; Camœnæ
Flauus & Aoniæ præses Apollo lyre.

AD M. IOHANNEM

SVANINGIVM COLLEGI
RIPENSIS DECA=
NUM.

ELEGIA VI.

SOla est hæc felix Respublica, sola beata
Quam placida sapiens mente caterua regit.
Rursus & infelix semper Respublica, cuius
Imperium uano pectore stultus habet.
Hunc amor, ambitio, metus, hunc insania cæca
In uarijs miserè fascinat usq; modis.
Cogitur hic etenim non solum dicere falsum,
Defendit studio facta nefanda suo.
Quippe refert spacio momenti temporis istos
Quos cuperet tandem conticuisse, sonos.
At sapiens didicit rationem ritè loquendi
Nam nouit certo fundere uerba modo.

B

Non

IOHAN. FRANCISCI

Non capitur socij uel amici doctus amore
Vt prodat falso pectore iudicium.
Hunc capit heroum nunquam fortuna uirorum
Vt uiolet sancti publica iura fori.
Munera nulla capit quæ cæcant pectora docti,
Munera quæ uertunt uerba statuta pij.
Iudicium mentis sequitur neque, quæ mala multa
Audet neglecta fingere lege Dei.
Sed cupit ex æquo causas decernere, iustum
Liberat, & damnat quem uidet esse reum.
Egregios tales patrijs iam cernimus oris,
Doctrina claros ac pietate uiros.
Quantum igitur patriæ læter de prosperitate
Non possum uerbis significare meis.
Sed nuper nostrum cum mors truculenta Decanum
Intempestiua sustulit ante mora,
Tota fuit meritò lacrymis Respublica plena
Et meritò nostræ permaduere genæ.
Esset adhuc tristi mea patria mersa dolore,
Ni nobis similem redderet ipse Deus.
Nunc igitur lacrymas me sistere, tergere uultum
Me decet, & luctus attenuare meos.
Te quia fautorem nobis hæc tempora reddunt
Quem schola, quem templum concupière diu.
Officio nobis præstantia munera præstas
Auxilio præstas maxima dona tuo.

Consilium

ELEG. LIB. I.

Consilium patrij gaudes audire Senatus
Et paret monitis sæpius ille tuis.
Quid maius toto cuperet Respublica mundo
Quàm sic doctorum munere posse frui.
Hac poterit sola fieri nam parte beata
Stultorum temnens impia dicta uirum.
Nos igitur tantis meritis persolvere grates
Atq; tuis donis reddere digna decet.

AD M. PAVLVM EBER
RVM PRÆCEPTOREM SVVM
CARISSIMVM.

ELEGIA VII.

Velleris aurati Titan ter signa meabat
Lecturae subij quo documenta tuae.
Sæpius inde tuos mirabar mente labores
Quòd posses humeris sustinuisse tuis.
Namq; gubernandi leges commissa potestas
Est etiam curis, dulcis Ebere, tuis.
Rector es eximius populo ueneratus ab omni
Rector ut es doctis doctior ipse uiris.
Hæc tibi Sisiphios tulerit quot cura labores
Haud queo carminibus significare meis.
Post documenta simul tradebas docta iuuentæ
O hæc quàm mira sedulitate dabas.

B 2

Nec

IOHAN. FRANCISCI

Nec non priuatim studiosos ritè docebas
A te consilium qui petière tuum.
Sed mea conaris quid dicere Musa labores
Præteritos, uel quot doctus Eberus habet?
Quot frutices syluæ, quot spissas Albis arenas
Rosida quot uiridis gramina campus habet.
Sustinet hac etiam (mirum) tot luce labores
Sustinet & curas nocte dieq; graues.
Est labor imbellem studijs formare iuuentam
Illius & curam sustinuisse labor.
Cum tua uix alijs stringantur pectora curis
Ne qua lues lædat corpora nostra times.
Aut aliquid nobis contingat tale sinistrum,
Hostis ne nostrum uulneret ense caput.
At tibi pro tanto quis grata mente labore
Reddit, uel meritis munera digna tuis?
Rarus adest ullus qui gratus uixerit, & uix
Millibus è multis unus & alter adest.
Extremos utinam talis rapiatur ad Indos
Et cum Marticolis misceat arma Getis.
Qui uolet officijs non reddere munera tantis
Tali sed uitium labe referre suum.
Sumpsimus atq; tuos ingrata mente labores
Hactenus, at posthac pectore gratus ero.
Verùm dona tibi nequeam cum reddere digna
Quæ possent meritis æquialere tuis.

Premia

ELEG. LIB. I.

Premia quis superis? quis caro munera patri?
Et præceptorì reddere digna potest?
Obnixè precor ergò meam complectere mentem
Mente nihil docto gratius esse reor.
Auxerit & tandem si res Rhamnusia nostras
Officij fructus experière tui.
Antè ego, crede mihi, stygias demittar ad undas
Et rumpent duræ stamina nostra Deæ,
Tantum possim quàm non meminisse laborum
Vel possem meriti non meminisse tui.

AD M. IOHANNEM
VIBERGIVM COLLEGIIRI
PENSIS ARCHIDIA
CANVM.

ELEGIA VIII.

Ite leues numeri non uanam ferte salutem
Ornato uera relligione uiro,
Ipsius atq; meum iussum reuerenter ad aures
Ferte, eius semper nam meminisse decet.
Iure salutetis, facili sed uoce, penates
Primum, uel quot habent numina sacra domus.
Murmure post tenui domini uenietis ad aulam,
Verbaq; mandato ferte legenda meo.

B 3 Si posi-

IOHAN. FRANCISCI

Si posito, uiuat non tristi corde, dolore
Hæc mea fortunæ pars quoq; talis erit.
Sin secus infando teneantur pectora morbo
Hac etiam mœsto parte dolore premar.
Viuere dignus erat cunctos sine labe per annos
Dignus erat summa prosperitate frui.
Quid non quæso boni meruit Vibergius? extant
In nos officij munera multa sui.
Quot freta nymboſis turbantur uasta procellis
Cum Capro quando Phœbus Eous erit.
Quot facibus clarus flagrantibus ardet Olympus
Præstiterat nostræ tot benefacta scholæ.
En, tali decet esse simul nos nomine gratos
Huius nam fuimus pars studiosa scholæ.
Antè feram nostris abscindi lumina malis
Quàm nolim meriti non memor esse sui.
Quid nunc cessatis? num uos furibundus ab arcto
Terret, uel Boreas uel glacialis hyems?
Iam quia conturbat coelum Neptunia proles
Iam quia corcretas spargit ab axe niues.
Non glacies nec aquæ retrahant, nec frigora gressum
Et non quicquid hyems asperitatis habet.
Si quid in hac uia (quod Dij prohibete) sinistri
Contingat, forti pectore ferre decet.
Ipse dabit tandem, tantum properate, labori
Vestro, propensa munera larga manu.

Ad M.

AD M. LAURENTIUM

VM NICOLAI, ECCLESIAE
RIPENSIS PASTOREM, ET

Canonicum, quod ex morte liberatus sit.



ELEGIA IX.

O mihi Thespiades praesentes este sorores,
Atq; iuua studium docta Mimerua meum.
Vos quoq; sincero mihi iuncti corde sodales
Quot colitis clarij numina casta chori,
Tendite nunc cytharam resonantes addite nervos
Nunc decet arguta tangere fila lyrae.
Ut ueras superis dicamus pectore grates
Cantantes summo carmina leta Deo.
Qui nunc restituit confectum tabe maligna
Ornatum summa relligione uirum.
Hic, si saluificum Christi quis dogma docebat
Proposuit certam, si quis ad astra, uiam.
Et tenerum Christi si quis seruauit ouile,
Praebuit aut ouibus pascua uera suis.
Fulsit in egregio lepidus uel si nitor ore,
Si didicit quisquam uerba diserta loqui.

B 4

Præit

IOHAN. FRANCISCI

Preßit & indomitum si quisquam dogma luporum:

Om nibus hic nitens uiribus ista facit.

Ergò nunc animo lacrymosas pone querelas

Virtutum tanti captus amore uiri.

Et lacrymas depone tuas, ô patria, tristes

Nam tua nunc mouit mœsta querela Deum.

En, ualet & uiuit tuus ô letare, minister

Dulcia tristitiæ gaudia carpe loco.

Omnia leticia resonent, ludisq; iocisq;

Plausibus & mentes exhilarate nouis.

Iuppiter æthereo depellat nubila cœlo,

Nubila quæ falsis sunt inimica iocis.

Cum prius hic nostras rumor peruenit ad aures

Auribus ô rumor nuncia leta meis.

Restitui uideor morbo correptus anhelò

Et cerno uires nunc rediisse meas.

Non mirum: uelut alter ego reputandus amicus

Illud amicitie nobile nomen habens.

Nuntia sic luctus mihi uenit epistola, lecta

Ex qua cum lacrymis sunt ea damna meis.

Non minus obstupui quàm si percussus acerbo

Quem iacit iratus Iuppiter, igne forem.

Adde quod est mecum, me lamentante, Thalia

Visa dolore suas dilacerasse genas.

Non dolière minus, noscentes ista, Camœnæ

Quàm doluit pulchram Thracius Euridicen.

Ergò

ELEG. LIB. I.

Ergo nunc meritò tristes suspendere curas
Nos decet, & lacrymas attenuare piās.
Vir uenerande tuas animo quoq; pelle querelas
Nobiscum summo ser sacra uota Deo.
Non te commoueat quod sic plectaris acerbè,
Sic fortuna solet tangere sæpe bonos.

AD D. IOHANNEM
GRVNDITH, ECCLESIAE RI-
PENSIS PASTOREM AT-
QUE CANONI-
CVM.

ELEGIA X.

Salue præcipuos Iohannes inter amicos
Thesæa salue cognite amice fide.
Nunquid amor fidus manet alta mente repostus
Quo fuimus quondam, dulcis amice, pares?
Hic, ego Leucoreum studijs dum uersor ad Albim
Haud lux immemorem conspicit ulla tui.
Seu celer in medio Titan percurrit Olympo
Seu cadat alatis in mare pronus equis.
Præsens ante meos oculos tua fulget imago
Ut nequeam meriti non meminisse tui.
Dormio seu uigilo, quæcunq; negotia tracto
Est semper nostro nomen in ore tuum.

B 5

Plurima

IOHAN. FRANCISCI

Plurima priuatim tecum collata recordor

Plurima iucundis seria mixta iocis.

Et tua quæ dederas quondam mihi dona recordor

Dona quidem summis anteferenda bonis.

Prima dabas elementa mihi iuuenilibus annis

Quæ primam ad Musas me docuere uiam.

Non secus ac mater, primo cum lacte, puelli

Conformat linguæ murmura prima, sui,

His bene perceptis me tunc maiora docebas,

Hæc quàm sincera dexteritate dabas?

Formabas animum doctrina & moribus aptis:

Proponens animæ sacra alimenta meæ.

Harum nulla mihi uenient obliuia rerum

Donec in hoc nostro corpore sensus erit.

Atq; prius falso discurrent tramite stellæ

Inclita nec proprio cardine luna cadet,

Musca prius tenuis resonantia flumina mundi

Ebibet, & conchis destituetur aqua,

Quàm præceptoris nequeam meminisse laborum

Et gratam mentem non habuisse uelim.

IN NATALEM DO-

MINI. ELEGIA XI.

Festa salutiferi celebremus ut annua Christi
Quisquis ades casta concipe uota fide.

Debita

ELEG. LIB. I.

Debita fumantes uramus thura per aras
 Quæ dat longinquus diues odoris Arabs.
 Te pie Christe precor conatibus annue nostris
 Languida concussæ tu rege uela ratis.
 Ut tibi digna tuo dicamus carmina festo
 Et ueniat quo nunc noster anhelat equus.
 Exoritur nunc lux quæ si non orta fuisset
 Nos Deus in stygias præcipitasset aquas.
 Hæc est illa dies toties optata Prophetis,
 Hæc est quam poscunt secula multa patres.
 Salue festa dies cunctis celebranda diebus
 O fortunatam terq; quaterq; diem.
 Qua patris æterni, qui continet omnia, gnatus,
 Qui regit & ualida condita cuncta manu,
 Quem non comprehendit sinuosi terminus orbis
 Quem non cœlorum machina tota capit,
 Virginis intactæ grauidam descendit in aluum
 Aluo uirginea sustinuitq; geri.
 Omnia qui finxit confingitur artibus ipse
 Omnia qui fecit factus & ipse miser.
 Pendet ab uberibus nutritus lacte parentis
 Numine qui nutrit cuncta creata suo.
 Ut ros fecundus descendit ab aëre puro
 Terram nunc sterilem sponte uirere facit.
 Hic quoque sic lapsus per nescia membra uirilis
 Seminis, ex pura uirgine factus homo est.

Virginis

IOHAN. FRANCISCI

Virginis ergò stupent, non mirum, corda Mariæ

Nec non pastorum pectora tota stupent.

Candida cœlorum mirantur & agmina summæ

Ardua dum claris uocibus æthra sonat.

O quantum nobis lux contulit ista bonorum

Qua nobis Christus uirgine natus adest.

Montibus incultis sudabat rosida mella

Ilex plena fauis, lac niueumq; dabat.

Saxaq; Nectareos fuderunt ardua flores

Syluestres spinæ dulcia uina dabant.

Ipsè domum Iudæ sterilem florescere fecit

Vnde uelut ueteri cespite germen adest.

Te ueniente uenit nostræ spes uera salutis

Et periit serpens sibila colla tumens.

Pro tantis meritis quas grates Christe feremus

Et tibi quas laudes nostra Thalia canet?

Proh dolor: hîc imis sunt nostra sepulta tenebris

Pectora, non noscunt munera tanta Dei.

Non sumus ingrati tantum, sed talia Christi

Munera, pro nihilo pessimus orbis habet.

Sic quoque cum primum superas es natus in auras

Virgine, felici sydere, Christe, sacra.

Iusticiam cupiens quondam quam perdidit Adam

Nobis infesta reddere morte tua.

Ne mors in miseros posthac sua spicula tendat

In nos ne posthac dira uenena uomat.

Audit

ELEG. LIB. I.

Audit Idumæo dum Rex hæc sanguine cretus
Quod sumas Solymæ sceptrâ potente manu.
Mox sua uipereæ rapiunt præcordia flammæ
Atq; Palestina totus in urbe furit.
Hem quid? deijciar regno? dixit, cape miles
Tela, fac infantum sanguine Bethla fluat.
Hunc licet occultè puerum non perdere solum,
Tradite crudeli milia multa neci.
Ut sic iste cadat multis in milibus unus
Huius delecti quem fore spero reum.
Quid fit? at illius conatum ridet inanem
Qui sedet ætherei rector in arce poli.
Non minus euadis crudelem Christe Tyrannum
Telaq; uersuti sanguinolenta uiri.
O insane times frustra ne paruulus iste
Imperij rapiat frena superba tui.
Non cupit insani tua regia munera mundi
Quas uel habet fluidas India diues opes.
Hunc quid opes mûdi moueant? quid regna? qd aurum?
Subsunt imperio condita cuncta suo.
Venit ut imperium Stygij Plutonis acerbum
Frangeret, atque daret gaudia uera suis.
Huius leticiæ communes, Christe, precamur
Fac qui te colimus non dubitante fide.

Ad

IOHAN. FRANCISCI
AD OLAVM PETRI
CONSULEM RI-
PENSEM.

ELEGIA XII.

VT uiguere sacrae Ciceronis tempore leges
Inclita cum bello libera Roma fuit.
Imperiumq; in flore stetit: tunc dura tyranni
Impietas isto tempore spreta fuit.
Quo poterat tunc quisque sacras prestare studebat
Naturae leges & sacra iura fori.
Quod sibi, qui nollet socio fecisse, putabant
Hunc rectae mentis semina nulla sequi.
Talibus & normis patriae Respublica floret,
Quae regitur summis, praesul amande uiris.
Non minus haec sacro uirtutum semine splendet
Quam quondam Cicero cum sacra iura dabat.
Dura sed heu quae sit leuis inclementia fati?
Vel quid Parcarum numina dira mouet?
Quod sic heroum celeri pede fila uirorum
Scindunt, quae firmo sunt bene torta colo,
Quorum consilio regitur Respublica, quorum
Ingenio florent dogmata sacra uirum.
Nosti diuinum sapientis nomen Iuli
Antea fatales quem rapuere Deae.

Infir=

ELEG. LIB. I.

Infirmo rapuere breuem de corpore uitam
 Nomen in aeternum uiuere fama iubet.
 Scilicet ipse suam patriam uirtutibus auxit
 Innumeris : patriæ portus & aura fuit.
 Arbiter ille fuit sincerus & optimus æqui
 Iudicium summa dexteritate tulit.
 Et sciuit dubias prudens discernere causas
 Nequicquam rapidis litibus aptus erat.
 Composuit cunctas moderata mente querelas
 Quæ clarum uirtus auget honore uirum.
 Ille dolore graui quoq; saucia corda leuabat
 Consilij ignaris consiliūq; dedit.
 Hoc autore, etiam quæuis iniuria cessit,
 Namq; homini tantus candor & ardor erat.
 Hunc igitur merito Respublica plangit ademptum
 Ornatum tanta sedulitate uirum.
 Sed quia nunc celsi statuit regnator Olympi
 Illius ut caperes munia summa uiri
 Paulatim posuit Respublica mœsta querelas
 Incepit lacrymas attenuare suas.
 Nam tua contendit saltem nunc æmula uirtus
 Ipsius ut similis laudibus esse queas.
 Ipsius intueor quoties, doctissime, laudes
 Præsul, & ingenui munera larga uiri.
 Conueniunt mihi crede tuis uirtutibus æquæ
 Ipsius ac similes dotibus esse queant.

Quid

IOHAN. FRANCISCI

Quid multis iuuat ergò tuas describere laudes
Laudibus es maior, præsul amande, meis.
Ipsius inspicias tantum præconia laudum
Quæ non sunt meritis anteferenda tuis.

AD FRANCISCVM

MATTHIAE PA=
TREM.

ELEGIA XIII.

VEre nouo genitor suauissime penè peractò
Frigoris à nobis plena recessit hyems.
En, uiridi rursus uestit se gramine tellus
Atq; suo domino munera digna refert.
Iam sua robusti renouarunt arua coloni
Iam sua diuiduus semina sulcus habet.
Et nemorum solamen auis sua munera confert
Auditur uarios mille referre modos.
Omnia nunc rident : niuea, nunc lilia nymphæ
Decerpunt, florum & nomina multa manu.
Vnde sibi caris detexunt floridaserta
Sertaq; puniceis florida mixta rosis.
Omnia nunc rident : at sors inimica fatigat
Me solum, heu miserum quem mala tanta premunt.
Aut dirum fragiles frigus mihi conficit artus
Contundens uitæ squallida membra meæ.

Feruidus

ELEG. LIB. I.

Feruidus aut nostros, heu, heu, calor inficit artus

Quo proprias vires corpus habere nequit.

Non iuuenile mihi decus est: confecerat ora

Pallor, designat membra colore suo.

Vix vitalis adhuc ducit mihi spiritus auras

Vix facit officium lingua tenella suum.

Destituor cunctis defectus uiribus æger

Spem medici uitæ deposuere meæ.

Est mihi nunc patriam dulcem spes nulla uidendi

Teq; tuosq; lares, ô uenerande pater.

Nec uos, germani, mentis pars maxima nostræ

O fratres, animæ maxima cura meæ.

Sed tu quid dices genitor dulcissime, mortis

Cum ueniet nati nuncia fama tui?

An tua non tristes cingent præcordia curæ?

Et uultum madidis nonne rigabis aquis?

Non ducis toto gemitus de pectore mæstos?

Singultus imis cordibus anne trahis?

Hæc quoties plangens soli tibi, pectore, dicis

Nate leuamen ubi es? nunc ubi nate iaces?

O utinam nunquam peregrinas isset ad oras

Nunc esset patrio mortuus ille solo.

Hic sua plorarem solito feralia busto

Vt fierent lacrymis sic madefacta meis.

Vos igitur Musæ, patrias cum liquimus oras

Quò possem uestris deditus esse sacris,

C

Ferte

IOHAN. FRANCISCI

*Ferte salutiferas herbas, medicina paranda est
Ne mea mors longa lumina nocte premat.
Et uos Castalides date frigida pocula nobis
Ut pereat tantus pectore, quæso, calor.
Ne fiam caro genitori funeris autor
Solamen cuius dulce superstes eram.
Sic mea mens longos uobis inseruiat annos
Pro meritis uestris munera digna dabit.
Tu quoque Christe potens ægris medicamina præbe
Me nunc ô tantis exime Christe malis.*

AD M. IOHANNEM
CANVTIVM ECCLESIAERI-
PENSIS CANONICVM ET
LECTOREM.

ELEGIA XIII.

C*VM nihil auxiliij superest, tunc uota supersunt
Vota relata quidem non dubitante fide.
Vota mouent superos, si sint modo iusta, piorũ
En, uires uitæ uota dedere meæ.
Nam Deus omnipotens uasti regnator Olympi
Non surda nostras audiit aure preces.
Restituit miserum metuentem mille pericla
Ipsi cum nostras eloquar ore preces.*

Sum=

ELEG. LIB. II.

Summe pater rerum cunctarum rector & autor
 Cuius sunt forti cuncta creata manu.
 Siue uoles firmum morbo affecisse maligno,
 Siue uoles ægrum restituisse, potes.
 Est tibi uel quiduis faciendi plena potestas
 Omnia nam nutu stantq; caduntq; tuo.
 En, iaceo prorsus cunctis sine uiribus æger,
 En, iaceo minimi nescius auxiliij.
 Nil medicina mihi prodest, est nulla potestas
 Herbarum, miserum me mea fata uocant,
 Tu nisi consilium nostri das, Christe, doloris
 Tu nisi me morbo nunc releuare uoles.
 Ergo age nunc nostro tandem succurre dolori
 Pectore fac nostro decdiat iste calor.
 Pro tanto meritas seruatus munere grates
 Ipse feram, o uitæ spesq; salusq; meæ.
 Temporibus uitæ referam tua munera cunctis
 In multos unquam non peritura dies.
 Ipse tuas cingam sertis fragrantibus aras
 Pro meritis addam pinguia thura tuis.
 Talia, me dicente, preces sacra numina tangunt
 Permittunt nostras pondus habere preces.
 Nam nunc membra suas repetunt mea languida uires
 Robore præterito iam redeunte mihi.
 Ut pner impubis pedibus non firmus eundo
 Vacillat uarijs dum cupit ire modis.

IOHAN. FRANCISCI

Sic ego nunc longa quoque desuetudine fessus
Incipio gressus iam renouare meos.
Dum iuuat irriguos spacios iam solus ad hortos
Hic ubi Leucoreis perfluit unda uadis.
Non mea membra tremunt adeo, non halitus oris
Aret, torrescunt nunc minus ora siti.
Iam iuuenile decus rursus mea tempora uestit,
Iam uiget in membris qui fuit ante calor.
Ergo sopore queo totas consumere noctes
Quæ nobis tandem non uigilanter eunt.
Nunc igitur mecum dulci mihi iunctus amore
Iohannes summo fer sacra uota Deo.
Mecum templa petas ornatus uestibus albis
Indutus tyrio murice solus eris.
Munere solus enim sacras fungeris ad aras
Ex merito superis optima thura dabis.
Ipse quidem præsens sociusq; comesq; sacrorum
Adsim quo iustum perficiatur opus.
Sed quibus ipsius tractemus præmia uerbis
Huic quibus aut dabimus debita dona modis.
Pœonias herbas dabimus neque thura Sabæi
Vel quas fert gratas India diues opes.
Grata Deo pietas est & sine labe uoluntas
Quæ semper gnati flagrat amore sui.
Christe salutifero qui cœlum numine torques
Qui nostræ curam & Christe salutis agis.

Ex

ELEG LIB. I.

Ex imo meritas fundo tibi pectore grates
Gratia pro meritis sit tibi summa tuis.
Tu facis ut uideant clarum mea lumina coelum
Hunc facis ut uideant lumina nostra diem.
Teq; iubente uigor redijt in corpore toto:
Sic aliquid fieri te uoluisse sat est.
Ergò te cunctos semper celebrabo per annos
Et tua perpetuò carmine facta canam.
Tu nostro tantum successus adde labori
Dum meus in tali puluere sudat equus.

IN RESVRRECTIONE
NEM CHRISTI.

ELEGIA XV.

Nescio quo mea mens agitur numine, quoue
Nunc splendore sacro pectora nostra nitēt.
Tempora cūcta mihi ridēt, mihi pulchra uidē=
Omnia q̄ circum lumina nostra uident. (tur
Nunc Philomela graues demulcet carmine mentes,
Nunc Merulus dulci cantica uoce refert.
Sic reliquæ uolucres dulci modulamine certant
Quæ possit multis exuperare sonis.
Omnia nunc frondent, omnis nunc parturit arbos,
Et sua gramineus munera campus habet.

C 3 E cœlo

IOHAN. FRANCISCI

E caelo nubes Zephyro spirante recedunt
En, uer purpureum commoda cuncta parit.
Tantum forsitan sit propria causa bonorum
Quæ præbet cunctis gaudia tanta pijs.
Quod redijt dominus Stygiorum uictor ab umbris
Deducens Stygio carcere, morte, pios.
Hei hei quàm nimium congressus Marte secundo
Ipse triumphator clara trophæa tulit.
Infernum Satanam superat, uictorq; catenis
Vinxit, castra sua fregit iniqua manu.
Impiger ut quondam Samson periturus ab hoste
Cum finem uitæ sensit adesse suæ.
Hostes quo poterat moriturus perdere sæuos
Euertit proprijs uiribus ille domum.
Abstulit & forti fractas è cardine portas,
Erupit medio septus ab hoste simul.
Sic Christus sæuum posset quò morte Draconem
Perdere, serpentis toxica nigra tulit.
Ut sacra saluifici rodens calcanea Christi
Frangat maxillæ tempora dira suæ.
Ne queat ulterius Stygij nos labe ueneni
Ledere, non aliqua parte nocere pijs.
Sic domitis tandem Stygiorum uiribus, ipsa
Deuicta, Christi uulnere, morte fera.
Clausa diu nobis aperit cœlestia regna
Ius dedit & celsi summa tenere poli.

Nulla

ELEG. LIB. VI.

Nulla queunt nobis uel summa nocere pericla
 Nec potis est stimulus Tartarus ipse suis.
 Hic quia saluificus mortis deuictor Iesus
 Permansit: cuncti uicimus imperium.
 Latior ergò simul celebrat pia turba triumphum
 Cantans per uarios carmina sacra sonos.
 Nec non & rerum series hunc excipit omnis,
 Nam sunt in reditu cuncta nouata ducis.
 Hunc etiam sancto nos nunc celebremus honore
 Paschalem toto pectore & ore diem.
 Fermento careant omni pia corda uetusto
 Fermentum repetant pectora nostra nouum.
 Exuat omnis homo peccatum, sitq; sepultum
 Ut teneant clari, regna beata, poli.
 Ille dies ueniet tandem quo nostra sepulchris
 Surgent, per sonitum, membra nouata, tubæ.
 Tum uelut ex terræ scrobibus uenit ante sepultum
 Semen, per latos & dominatur agros.
 Funereis ueniet lætus sic quisq; sepulchris
 Et dicet summo cantica læta Deo.
 Tum ueteremq; grauem deponent corpora molem
 Alpina fient candidiora niue.
 Tunc dabitur præsens summum celebrare Tonantem
 Tunc dabitur tota cernere fronte Deum.
 O nimium felix, ô terq; quaterq; beatum
 Cui licet hæc oculis cernere tanta suis.

Hic.

IOHAN. FRANCISCI

Hic aeterna quies, hic pax, hic summa uoluptas,
Angelici cernes agmina multa chori.
Qui simul unanimes dicunt pia carmina Christo
Vulnere qui peperit commoda tanta suo.
Fac nos participes tantorum, Christe, bonorum
Fac nos aetherei regna tenere poli.
Ut tibi cum sancto resonemus carmina coetu
Dicamus laudes tempus in omne tuas.

IN NATALEM M.

IOHAN: GEORGII VI-
BERGII.

ELEGIA XVI.

Romani redijt nunc lux uigesima Martis
Qua leto & fausto sydere natus eras.
Hunc sine labe diem quōdam celebrabat alum-
Sulmonis clarus Naso poeta suum. (nus
Phocaico uestes gestauit murice tinctas
Virgineos ducens letus in orbe choros.
Thespiadum retulit fragrantia sarta sororum
Dum premeret digitis fila canora suis.
Cum placidas tali tu sis productus in auras
Luce, decet clarum te celebrare diem.

Cum

ELEG. LIB. I.

Cum nymphis faciles nunc exerceto choreas
 Grataq; mellifluae plectra moueto lyrae.
 Pectore de tristi uigilantes pellito curas
 Quae debes genio soluere, solue tuo.
 Fac croceos cingas redolenti flore capillos
 Et pro natali suscipe uota die.
 Autorem uitae gratis celebrato Camoenis
 Qui dedit ingenio flumina larga tuo.
 Te nascente simul riserunt numina caeli
 Arrisit summo Iuppiter ipse polo.
 Sydera leta tuo placide fulsere sub ortu
 Vibrabant oculos caelica signa suos.
 Scilicet in primo degebat cardine caeli
 Erigones (mirum) fulgida stella pie.
 Quae tibi doctrinae et uirtutis munera donat
 Et cultum uarijs artibus ingenium.
 Sed Mars, heu, quarto cernens ex limine saeuus
 Vix bona concedit posse tenere patris.
 Penniger ac Hermes pulchra de Pleiade natus
 En, tua sollicito corda dolore grauat.
 Extincta flebis properata morte propinquos
 Corruppens lachrymis lumina saepe pijs.
 Et monet ut caueas socijs secreta benignis
 Credere, uel iunctis sanguinitate uiris.
 Dilacerare tuam cupient sine crimine famam
 Qua nullum est toto maius in orbe decus.

IOHAN. FRANCISCI

In Stygiam uellent, si possent forte, paludem
Trudere, uel tali te lacerare modo.
At Deus æthereus uerbo qui cuncta gubernat
Cum petimus, precibus cedere fata iubet.
Cernis & in nona coniunctos arce, seuerum
Falciferum, & placidam te cytherea Venus.
Viribus ingenij talis coniunctio prodest
Nascenti Bembo fulsit & iste situs.
Sed tamen inceptos non raro turbat amores
Et mentes falsa suspitione mouet.
Hac coniuncta domo tibi pars feret optima quæq;
Fortunæ, & meritis munera digna tuis.
Ut felix abeas peregrinos hospes in agros
Efficit & longas ire redire uias.
Doctrinæq; audium pectus tibi donat adesse
Ut non nota alijs cernere multa queas.
Insuper undecima leti regione triumphant
Cynthia magnanimo cum Ioue Luna patre.
Hic nisi retrogrado discurreret ordine, certo
Adderet hic uitæ commoda multa tuæ.
Attamen in propria retrogradus arce triumphat
Hunc letus semper gaudet habere locum.
Ergò tibi placidæ promittunt tempora uitæ,
Larga promittunt aurea dona manu.
Sic coniuncta situ cœlestia sydera fausto
Significant uitæ tempora leta tuæ.

Solue

ELEG. LIB. I.

Solve Deo grates, dubio nec credito casu
Sed data consilio, munera tanta, Dei.
Utq; regat uitam, facies ardentia uota,
Aeterno Christus de genitore satus.
Post etiam positis libemus pocula curis
Leticiae fons sit sed Deus ipse tuæ.
Et cytharam tenero nunc pollice tange sonorantem
Effundens uarijs carmina blanda modis.
Sic facilis fiet nisi me presagia fallunt
Pulchra puella mihi, pulchra puella tibi.
Transseat ille dies nobis sine nubibus atris
Letior ut redeat de bonitate Dei.

AD TVMVLVM

FRATRVM.

ELEGIA XVII.

DAulias heu foetus gemit ut Philomela relictos
Et dolet amissum casta columba uirum:
Sic quoque uos moesta gemuerunt uoce sorores
Purpureas lacrymis permaduere genas.
Atq; uicem uestram Dryades doliere puellæ
Ambo quod miserè sic perière simul.
Quanto uestra magis miseri, nunc fata dolerem
Vos immatura quæ rapuere die.

Vnicæ

IOHAN. FRANCISCI

Vnica quos rapidas mater produxit in auras
Quæ nobis primum uiuere sola dedit.
Quæ uos ergò mali rapit inclementia fati?
Siccine mors fera mors optima quæq; rapit?
Non metit ante diem fœcundas messor aristas
Succida nec puida uellera carpit ouis.
Nec capit immatura rudis uel poma colonus
Nec bona quæ uiridis munera campus habet.
At uos mors Stygijs, annis crescentibus, undis
Mersit, scindentes stamina torta Deæ.
Quid queror? an lachrymis uel questu fata mouentur?
An diram mortem nostra querela mouet?
O mors surda nimis, nimis es truculenta petenti
Nunquàm tu surda percipis aure preces.
Gramina scissa semel latis moriuntur in aruis
Vomeribus, dura morte sepulta iacent.
Deinde suam repetunt aliquot post tempora uitam
Sub uiridi tandem cespite leta uirent.
Sic quoque decedens iam Sol decliuis Olympo
Occidit, & moriens astra nitere facit.
Ac ubi flammiferum Sol lauerit æquore currum
Ad nos auricomo lumine mane redit.
Sed cum nigra semel Stygij nos fluminis unda
Lauerit hinc Orci ianua clausa manet.
Rupta semel duræ non nectunt stamina Parcæ,
Illarum pensa sed stabit absq; colus.

Hec

ELEG. LIB. I.

Hec erit ergò meæ nunc consolatio mentis
Hoc etiã multum pectora nostra leuat.
Quod simul hinc quondam surgemus uoce Tonantis
Cum dederint magnæ murmura summa tubæ.

IN NVPTIIS D. IA

COBI SEVERINI
RIPENSIS.

ELEGIA XVIII.

GRatia supremo debetur summa Tonanti,
Iacobe, ô patrij gloria magna soli,
Quòd genus humanum fœcundum condidit, æ=
Legibus, & sanxit fœdera connubij. (quis
Fœdera sancta quibus sexus copulentur honestè
Ut generent casto pignora cara thoro.
Consilio domini certo mandata uoluntas
Ista Deum montem comprobat esse bonam,
Nam uelut ex patrio generatur semine proles
Viuida quæ patris substat imago sui.
Sic pater æternus fœcundo semine uerbi
Cœlestes gnatos gignit, alitq; sui.
Quod sonat ac toto uires acquirit in orbe
Et facit ætheream nos habitare domum.

Deinde

IOHAN. FRANCISCI

Deinde uelut genitam prolem seruare parentes
Officio, curis, atq; labore student.
Corpus alunt, & ueste tegunt, nocumenta repellunt,
Moribus informant, dogmata sacra docent.
Sic genitam seruat sermonis semine prolem
Creditur aetherei qui pater esse chori.
Scilicet hanc nutrit uiuo sermone salutis
Hanc fouet & sancto numine semper alit.
Horrida cum teneros corrumpunt frigora gnatos
Cum rodit scabies membra tenella putris.
Frigora depellit cingens nos ueste salutis
Sanguineaq; toga putrida membra tegit.
Eripit ex dubijs uersantem mille periclis
Et propter gnatum nos fouet ille suum.
Ex quo tanta Dei bonitas hac lege patescit
Grato corde pios hanc retinere decet,
Hac in lege uides castæ purissima mentis
Semina saluifici, qui regit astra, Dei.
Qui tremulis uerè flammis succenset & odit
Quot Veneris blandæ castra nefanda colunt.
Et trahit ad pænas leges quicumq; iugales
Aut uiolant casti uincula sancta thori.
Nam Deus in thalamum duo corpora iunxit amantum
Inquit, erunt iuncti semper amore duo.
Ergò sacrosanctæ quis frangere uincula legis
Audeat, aut castum commaculare thorum.

Hunc

ELEG. LIB. I.

Hunc non sulphureis credam de montibus ortum?
 Aut hunc è Stygio profuisse lacu?
 Hunc serpentinæ non transfixere sagittæ?
 Hunc non sæua lues in scelus omne rapit?
 Tristibus exemplis huius miserabilis œui
 Nos docet hanc Dominus se reprobare luem.
 Fortia nam claræ consumpsit moenia Troiæ
 Dum læsit Phrygius fœdera sancta Paris.
 Scedafias etiam uiolant sine fœdere gnatas
 Spartani, & rigido turpiter ense necant.
 Turpiter imperium clarum post Sparta reliquit
 Quid non quæso mali spurca libido parit?
 Temporibus priscis totum sic fluctibus orbem
 Cœlitus in Stygias præcipitauit aquas.
 Inclyta sic Phrygiæ uastauit moenia Romæ
 Quæ summum toto stabat in orbe caput.
 Impuros coluit Veneris quia semper amores
 Græcia nunc uastum cernitur esse chaos.
 Quid memorem cædes regum? quid Martia bella
 In quibus Herculei sic periëre uiri.
 Turnus ut Aeneam percussit marmore grandi
 Huius & is rursus fossus ab ense cadit.
 Hector Achilleo transfixus concidit ense
 At Paridis telo gnatus obit Thetidis.
 Sic potuit Paridis magnam subuertere Troiam
 Perdere magnanimos sola libido uiros.

Pluri=

IOHAN. FRANCISCI

Pluribus exemplis uetitos puniuit amores
Pectora qui casto numine nostra regit.
At fouet e contra uerbum qui corde fideli
Illius & casto pectore iussa colit.
Atq; uenenosum qui detestantur amorem
Hos fouet, hos seruat, liberat atq; regit.
Sic castum Ioseph latebroso carcere clausum
Eduxit forti tunc Deus ipse manu,
Cum fuit illiciti falso insimulatus amoris
A domini impura coniuge Potipharis.
Sic quia contempsit rutilas Susanna sagittas
Connubij seruans uincula firma sui.
Hanc Daniel, Domini iussu de morte potenter
Eripit, inq; reos debita poena cadit.
Quot quaeso sauis circumuallata periculis
Iudith erat magnae forma pudicitiae.
Sed Deus hanc seruat Veneris quia spicula crude
Contemnit, castum seruat, amatq; thorum.
Liberat haec patriam multis ex cladibus urbem:
Magnanimum sternit foemina casta uirum.
Terret, & ex patria Mauortia castra fugabat:
In casto tantum pectore robur inest.
Tobias castam quando sibi iungere Saran
Coniugij firmo foedere constituit.
Scilicet obscenos Veneris quo uitet amores
Augeat & casto semine stemma suum.

Angelicum

ELEG. LIB. I.

Angelicum sentit, Domino mandante, iuuamen
Qui tribuit casto prospera cuncta thoro
Sic Deus æternam puro qui pectore normam
Conseruat, castos diligit atq; iuuat.
Sic fouet infestum qui detestantur amorem
Atq; colunt casta mente pudicitiam.
Hæc quoniam Iacobe facis carissime, summo
Ne dubita, pietas est tua grata, Deo.
Vis potius thalami promittere fœdera sancti
Quàm uis insano pectus amore rapi.
Gratulor ergò tuis, Iacobe ô candide, cœptis
Et precor ex animo sint ea fausta tibi.
Felices rogo sint tibi tædæ connubiales
Letus & ad thalamos carmina pangat hymen.
Vt tua perpetuò seruentur pignora, sanctum
Quæ discant ueræ relligionis opus.
Vt sit amor gnati signum cœlestis amoris
In quo perpetui lucet imago boni.
Ne tua succendant Veneris præcordia flammæ
Quæ summi spernunt facta stupenda Dei.
Ergò Deus uobis benedicat & adsit utriq;
Illius uestrum protegat ala caput.
Conatus uestros, precor ut Deus ipse gubernet
Ne uestros animos sordida cura premat.
Longa regat uestre placidè quoq; tempora uitæ
Inq; Deo sit mens una sit unus amor.

D

Ad

IOHAN. FRANCISCI
AD LECTOREM.
ELEGIA XIX.

HAec ego dum iuuenis iuuenilibus integer annis
Imparibus lusi carmina pauca modis,
Vix transgressus eram quarti confinia lustri
In summo uiridis flore iuuenta fuit.
Tunc primum Aoniam coepi tentare palestram
Et placidam insuetus concrepuisse lyram.
Pieridum flores primum tunc legimus hortis
Principis Augusti stant ubi regna ducis.
Vt fatear, sum saepe quidem, me iudice, lapsus
Dum nimis ad metam currere tendit equus.
Sed dare tu nostrae ueniam dignare iuuenta
Fallitur heu multis caeca iuuenta modis.
Hinc dabimus meliora tibi crescentibus annis
Quae quoque sint doctis carmina grata uiris.
Si nostris numeris iudex nunc equus haberis
Siq; uoles iusti iudicis esse loco.
Ista tuum nondum si pectus causa mouebit
Te ciet ingenij conscia culpa mei.
Ipse quidem agnosco quam non sit prompta facultas
Condendi uincto uerba ligata pede.
Ergo meis ueniam lector des quaeso Camoenis
Lapsa quibus, iuuenis sit mea musa, modis.

Sic

ELEG. LIB. I.

Sic tibi Thespiades sacro ex Helicone sorores
Præses & Aoniæ flauus Apollo lyræ,
Pro meritis tribuant faciles in carmine uires
Vt sic fonte fluant uberiore tibi.
Non moror ullorum suffragia praua Cycloporum
Vipereo quorum pectora felle madent.
Quiq; theonino hæc arrodere dente laborant
Quæ sunt indicij laude minora sui.
Indoctis placuisse uiris est gloria nulla:
Laus est si docti carmina nostra probent.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



I
Y
A
T

I
M



EPIGRAM. LIB.

AD M. LAVRENTI=

V M NICOLAI DIOECESIS

Vandalicæ Superatten=
dentem.

Fama uolat dulces te deseruisse penates
Et simul officium deseruisse tuum.
Esse quidem toto tibi pectore letor honores
Auctos officij, uir uenerande, tui.

Attamen haud iustos queo dissimulare dolores
Quin mouear lacrymis, patria cara, tuis.

Doctorem populi quid non liquisse dolebis?
Quid saliens madidis non fluat unda genis?

Hic nam saluifici confessus dogmata Christi
Sincera fidei simplicitate dabat.

Antè fuit patrijs te nullo tempore templis
Eloquio maior, maior & ingenio.

Tu tamen ô longam quamuis deductus ad arcton,
Sis memor oro mei, sum uelut ipse tui.

INFERIAE AD TV=

MVLVM M. IOHANNIS VAR=

densis Canonici & pastoris Eccle=
siae Ripensis.

Si decet

IOHAN. FRANCISCI

SI decet ad tumulum magnorum flere uirorum
Tristia uel lacrymis rumpere uerba pijs.
Fletibus ô miseri cur nos non soluimur ægris?
Spargimus hei totas cur minus imbe genas?
Aspera naturæ Vardensis debita soluens
Reddidit heu fato stamina rupta suo.
Ripensis quas non laudes Ecclesia debet
Ornato, tanta dexteritate uiro?
Ingenij meruit præstantes munere grates,
Promeruit summum sedulitate decus.
Ergò quid mirum magno celebratur honore
Si careat famæ gloria morte sacræ.

AD D. IOHANNEM

GRVNDITH.

Nonne miser frustra terram proscindit arator
Si sterilis maneat tempore messis ager,
Et uirides frustra num nectit uitibus uuas
Nulla sub autumnno si dare uina queant?
Non magis his fructum præceptor ferre uideris
Munera non grato si tua dextra dedit.
Maxima se meritò tibi qui debere fatentur
Pro meritis reddunt, hei, maledicta tuis.
I, nunc ingratis dabis hinc bona munera: mentem
Vertere non gratam gratia nulla potest.

Epita

EPIGRAM. LIB.

EPI TAPHIVM M.

SEVERINI ANDREAE

Canonici Ripensis.

Hic ego Seuerinus parua constringor in urna
Hac iaceo nigra contumulatus humo.
Quam toties pedibus calcas, totiesq; reuisis
Insistens, lector, gressibus usq; tuis.
Nunc quod es ante fui, talis te forma sequetur
Nunc qualem membris fata dedere meis.
Ossa cubant tumulo, superas sed mens colit arces
Praestitit id nobis nil nisi sola fides.
Pectore qua colui summum simul ore Tonantem
Altera cum nobis uita superstes erat.
Hac cum scripta uides nostro praefixa sepulcro
Postremae sortis te meminisse decet.
Vna, nam mortis subeuntur funera, sorte
Mortales cunctos talia fata manent.

AD VIBERGIVM.

Si dare diuitias Craeso sit ineptia summa
Vel nummos Crassi multiplicare senis.
Quem mea stulta precor faciet dementia finem
Quod mea nunc uati carmina mitto tibi.
Querela

IOHAN. FRANCISCI

QVERELA DE OBI

T V I O H A N N I S L E

S C H I I.

Siccine Mars ô Mars indoctos atq; peritos
Vna prob scœua falce necare soles?
Quæ fera te duris egit uesania fatis
Hunc quòd uitali luce carere uelis?
Quem simul unanimo fouerunt semper amore
Doctæ tres Charites, Pieridesq; nouem.
Tu quoque qui primo uiridis sub flore iuuentæ
Iussisti hunc Martis signa cruenta sequi.
Hunc ergò miserum tua sub uexilla uocasti?
Exitio ut dirum persequeretur opus?
Sed queror, hei frustra, nam pondera nulla querelæ
Armipotens nostræ iam sinit esse Deus.
Nil animi, nil hîc magnorum gloria regum
Corpora uel ualido robore firma ualent.
Letifer horrisoni tormenti conterit ictus
Indigna ausuros prælia sorte uiros.
Inuentum crudele dabis, nequissime, quisquis
Tormenti primus diceris esse faber.
Leschius haud dura iacuisset morte necatus
Qui prius insigni robore clarus erat,
Si non igne globos docuisses mittere, tantum
Roboris egregij si ualuisset honos.

In

EPIGRAMMATON LIB.

IN TVLIVM.

Scribere me quereris semper mala carmina, Tuli,
Ipse nihil scribens, at meliora facis.

AD NICOLAVM

TOVVSCHOVRBIS

Ripensis Praefectum.

Plebe trahens uicta iuris doctissime nomen
Ingens ô patrij lausq; decusq; fori.
Aeterni quamuis tua cura uolumina iuris
Seruat, quæ summa sedulitate legis.
Ut placida semper cunctos in pace gubernes
Ut sic confirmes publica iura simul.
Vnde datur longos summum tibi nomen in annos
Vnde queas sera posteritate coli.
Attamen his fessus curis quandoq; , Camœnæ
Pauxillum tribuas temporis oro meæ.
Sic tibi uenturis melius firmatus ab annis
Fortè canam meritis munera digna tuis.

E

Ad M.

IOHAN. FRANCISCI
AD M. IOHANNEM
CANVTIVM CANONICVM
& Lectorem Ripen-
sem.

Vestra meam iubeo cum tecta subire Camoenam
Tunc pauet, & taciti signa pudoris habet.
Non mirum, duræ timet ut des singula limæ
Quæ sunt ingenij laude minora tui,
Ipse canis cultum docta testudine carmen.
Quod possit summos exhilarare Deos.
Siue ferenda dabis cartis pede uerba soluto
Siue uelis certis neçtere uerba modis.
Hic uiget ingenium docti Sulmonis alumni,
Illic ingenium sed Ciceronis habes.
Quæ tamen at nostro maneat fortuna libello,
Me tibi sincerus scribere iussit amor.

INFERIAE AD MA-
TRIS TVMVLVM.

Cum prius ad miseræ lacrymabã busta parentis
Atq; dabam querulo tristia uerba sono.
Anxia sollicito ducens suspiria corde,
Dirus nam pressit pectora nostra dolor.
Tristibus

EPIGRAM. LIB.

*Tristibus illa meis tunc est commota querelis
Adiecit dictis talia uerba meis.
Gnate, pijs finem lacrymis ô des rogo, uitæ
Mutarunt nostræ fata benigna statum.
Dulcia pro lacrymis tribuerunt gaudia mœstis
Tristibus à curis ocia leta tuli.
Est infensa mihi somnus mors facta quietus
Nam mens sinceræ tempora pacis agit.
Muneris hoc Christi est, cui sum confisa, per ipsum
Offertur ueris gratia uera pijs.
Auribus hæc cupidis hausi dum uerba, recessit,
Auribus ô nimium uox bene grata meis.*

AD IACOBVM SE-
VERINVM.

Ille tuus, primos non ultimus inter amicos
Quod mittit digitis pauca notata suis,
Causa fuit ueteris sincerus candor amoris:
Carmina scripsit amor, carmina misit amor.

AD M. MARTINVM
SIMONEM.

Zodiaci ter signa ferè iam Phœbus obiuit
Quo sumpsi mensæ fercula prima tuæ.
E 2 Interea

IOHAN. FRANCISCI

Interea de te tot munera digna recepi
Munera uix uerbis enumeranda meis.
Cretica quot uirides uindemia porrigit uuas
Præstita sunt per te tot benefacta mihi.
Qualia nunc igitur poscis tibi munera reddi?
Anne cupis meritis munera digna tuis?
Si mihi diuitias Cræsi Rhamnusia præstet
Quas uel habet Crassi diuitis arca potens.
Non tamen ex æquo tibi reddam munera: quid nunc
Cum fortuna mihi munera pauca dedit?
Reddere uelle quidem fert mens & prompta uoluntas,
Hac sis contentus, dulcis amice, precor.

AD M. IOHANNEM
GEORGIVM VIBER=
GIVM.

Nobile cum resonas docta testudine carmen
Et teris argutæ plectra sonora lyra.
Tunc uideor celsi raptus super æthera cœli
Cernere sublimem cum Ganimede Iouem.
Me trahis ac quondam Delphinus traxit Arion
Per summas Pelagi dum ueheretur aquas.
Quid conor tantas iuuenili carmine laudes
Dicere? quot dotes nobile pectus habes?

IN TVMVLVMD.

IOHANNIS SEVERINI
RIPENSIS.

HAec sacra busta uidens lacrymas effūde uiator
Spargere largifluo te decet imbre genas.

Hoc iacet in tumulo defunctus tempora lucis

Proh dolor, Aonij portio magna chori.

Qui sanctum Christi spargebat dogma Viellæ

Penè Lycaonio quæ iacet acta polo.

Hic fuit insigni fidus cum laude minister

Sparsit & æterni semina uera Dei.

Et uigil excubias egit ne turba malorum

Imbelles Christi dilaceraret oues.

Nobis hunc meritò nos ergo dolemus ademptum

Tam cito funebres quem rapuère Deæ.

Siccine mors ô mors celeri pede fata reposcis?

Sic Lachesis frangens stamina firma rapis?

O miserum mortale genus, quo uanius est nil:

Semper ad interitum turba parata sumus.

AD IOHANNEM SE-

CKERVVITZ VRATIS-

LAVIENSEM.

Miraris forsā tibi quòd mea carmina mitto,
Iohannes, Clarij portio rara chori.

E 3

ipse

IOHAN. FRANCISCI

*Ipse canas blando cum dulcia carmina plectro
Sanè Phœbæa carmina digna chely.
In uirides syluas dicis me ligna referre,
In mare ceruleam mittere fontis aquam.
Me dare gramineo uiridantia gramina campo
Auricomos, dices, poma uel Alcinoos.
Iure tuo quamuis hæc dicas, attamen istis
Si leuibus rebus iungere magna decet,
Ponimus Ionico Phœbo sua plectra lyramq;
Arcadico dabimus plectra sonora Deo.
Strymonio tribuunt sua bellica munera Marti
Ogygio tribuunt pinguia musta Deo.
Ut proprijs semper sacrantur numina rebus,
Sic sacrata tibi carmina nostra uolo.*

IN OBITVM D. IACOB COBI CORTENBECHII.

I*Am tua sollicitis Iacobe perempta periclis
In tumulis gelidis molliter ossa cubant.
Iamq; iaces lacrymis curisq; peremptus acerbis
Vidimus atq; quibus tempora plena malis.
Mollia dum primæ duxisti tempora uitæ
Non dubia Christum uoce professus eras.
Nunc etiam patrias senior reuocatus ad oras
Instituis populum non sine laude tuum.*

Hic

EPIGRAM. LIB.

Hic quoque postrema, iam iam moriturus in hora,
Christum confesso pectore & ore uocas.
Nunc igitur summa, letus uersaris in aula
Dulcia perpetuæ tempora pacis agens.

AD FREDERICVM

VVEYDEBRAM.

Quem non dulcisoni moueat concordia cantus
Et testudineæ fila sonora chelys.
Huic rigidum cingit circum præcordia fer-
Et quicquid ferro durius esse potest. (rum
In uarios igitur, quid mirum, pectora sensus
Nostra trahis, clariam te feriente lyram.
Non silices duræ, stant, nec Marpesia cautes
Ardua nec fibris marmora cincta meis.
Seu te uoce iuuat dulces cantare figuras
Tangere seu digitis consona pleetra tuis.
Artibus his cunctos superas Frederice magistros:
Musicus es digitis, musicus ore simul.

AD MACOTRI-

CEM.

Sollicito frustra quid finem quæris amori
Omni cum, semper, sine carere putas?

E 4

Difficile

IOHAN. FRANCISCI

Difficile est, inquis, ueteres ut ponere mores:

Ponere sic durum est quæ placuere diu.

Confiteor ueteres alit & confirmat amores

Consuetudo: pares nectit amicitias.

Sed pereunt duræ quoq; desuetudine flammæ

Absq; minus stipulis urere flamma potest.

Tu miser incensas nunc consuetudine flammæ

Auges, amplexus, oscula, ut ante, capis.

Hinc amor, hei tacitis te uexat, ut ante, uenenis:

Sic sibi uel morbus quilibet esse potest.

Quin ergo amplexus gratos & basia linque

In te sic minus hic iuris habebit amor.

IN C: QVEN

D A M.

Nunc quid firma ualet custodia? diceris an non
Consilia euentu stulta habuisse tuo.

En, tua quæ seruata fuit custodibus antè

Filia, nunc tumidi pignora uentris habet.

Hic quare meritò scissis gerit aëra cribris

Et meritò pluuias in mare portat aquas,

Quisquis formosæ custos inuita puellæ

Ad castam cogit membra pudicitiam.

Adde quod illicitum cupimus constantius: ultro

Quæ dantur nobis munera spreta iacent.

Iuppiter

EPIGRAM. LIB.

*Iuppiter ex Danae non esset factus adulter
Esset si cupidis ante potita uiris.*

IN BARLEVCVM.

Blesus adulator qui blando murmurat ore
Lactea qui falso pectore uerba refert,
Scilicet occultans aliud sub corde doloso
Ac alios nouit fingere uoce sonos.

Hunc plus Tartareum quàm deuitabimus orcum
Tristius aut fuerit si quid, Homere mones.
Ergò mihi quid iam tua consuetudo placeret?
O consuetudo moribus aucta malis.

In tenebris uincis qui Stentora uoce superbum
Luce uelut, rauca uoce, cicada, strepis.
Præsentem præsens multis me dotibus ornas
Absens absentem me lacerare cupis.

Ergò ceu Satanam nos te fugiamus oportet
Ducimur ad famam qui ratione bonam.

DE EDVCATIONE

ATQVE MORVM INSTI-
TVTIONE.

Cvm uoluit sancta disponere lege Lycurgus
Mores, ac hominum subdere colla iugo.

E S Protulit

IOHAN. FRANCISCI

Protulit in medium, populo praesente, theatrum
Rex catulos uno de cane progenitos.
Mollibus ille cibus fuerat nutritus in aula
In uili hic caula uiuere doctus erat.
Hic fuit ingentes consuetus ferre labores
Quaslibet & saeuas dilaniare feras.
Ille fuit doctus regales scandere lectos
Pro meritis domino munera nulla ferens.
Ponitur huic crassus cibus illi fercula lauta
Mox celeres lepores inter utrunq; locat.
Hic sequitur lepores ad fercula proruit ille:
Sic sequitur mentis semina quisq; suae.
Rex celso surgens solio dehinc talia fatur:
Vnius generis cernite facta canum.
Quos natura sagax uno produxit in ortu
Multum diuersos ars, studiumq; facit.
Haec precor o ciues animo perpendite uestro
Quid faciat morum cultus & ingenij.
Hinc uenit excelsi demissa per aethera caeli
Virtus, hinc claris gloria nata uiris.
Fingant propterea iuuenilia pectora mores
Legibus & placide flectere corda sacris.
Inclita nam grandi uirtus sudore paratur,
At molli scelerum tramite ducit iter.

Ad

AD AMICVM.

Optime quid tristes casus mihi dicis amice
 Quos tulerint paruo tempore fata tibi.
 Dulcia nunc lautæ memorans conuiuia mensæ,
 Quos fecit sumptus dulcis amica tibi.
 Et quot melliflua dederit tibi basia lingua
 Cum te Carbasio nunc fouet illa sinu.
 Non mirum: tales casus in amore Cupido
 Excitat, & curis saucia corda facit.
 Tristibus ac rursus soluens præcordia curis
 Infundit teneris gaudia pectoribus.
 Hactenus ille tibi non gaudia præstitit ulla
 Imò etiam fecit tristia corda magis.
 Ergò post multas lacrymas nunc gaudia carpe.
 Sunt etenim fatis dulcia mista malis.
 Omnia sic nobis cœlestia numina fundunt:
 Absq; dolore tibi nulla puella uenit.

IN VVLCANVM.

P O E T A M.

(que
Mente simul captus, simul et pede claudus utro
 Sunt tua nec iustis carmina scripta metris.
 Scripta tamen laceras theonimo dente bonorū
 Sint uelut hæc numeris deteriora tuis.

Hæc

IOHAN. FRANCISCI

*Hæc caue post, meritam referes uel, perfide, pœnam
Vt semper furijs exagitêre malis.*

**IN NATALEM
DIEM.**

H*Eus puer heus roseas ueteri pro more coronas
Adfer, natalis iam mihi festus adest.
Quas sup imponat nostris, mea uirgo, capillis
O decus, ô precium, uirgo pudica meum.
Solennes nos uota simul peragemus ad aras
Possit ut hic felix ire, redire dies.
Vos quoque sincero mihi iuncti corde sodales
Soluite nunc genio debita uota Deo.
Cum nimium fragiles exiccat Syrius artus,
Corpora sint liquido sicca leuanda mero.
Pocula certatim disponite larga, bibendi
Cernemus nostrum quis erit arte prior.
Viuiamus: læti præsentis luce fruemur
Nescimus quid lux triste futura dabit.*

**IN TVMVLM D.
LAVRENTII IACOBI EC-
clesiæ Haffnensis mini-
stri.**

Accipe

EPIGRAM. LIB.

Accipe postremum ueteris nunc frater amoris
Munus, quod luctus sit monumenta mei.
Viuus saluifici docuisti semina uerbi
Atq; uocas moriens pectore & ore Deum.
Haffnia sincerum coluit te cara ministrum
Monstrabas uera nam pietate Deum.
Ergò oculis madidis te luget patria tellus
Quòd tua sunt subitis membra reposta rogis.
Omnia cum uiolet mors, soluat & omnia: soluet
Non tamen hoc nostræ munus amicitiae.

ADOLESCENS
CVPIDINI.

SI puer es, uesane, uelut nunc pingeris. omnes
Hei fera quid uinctos sub tua castra tenes?
Luminibus uerè si captus es: unde sagittas
Tam certò uibras per mea corda tuas?
Cum tibi grata domus clari sint atria coeli,
Quid quæso gaudes cor habitare meum?
Ambrosia quando dulci quoque nectare gaudes:
Cur cruor, hei, noster perplacet atq; tibi?
Desine me duris posthac lacerare sagittis
Ipse feram uictas tunc tibi sponte manus.

Ad

IOHAN. FRANCISCI

EPI TAPHIVM HO

NESTISSIMAE MATRONAE,

Mettæ Lagonis, uxoris prudentissimi uiri Lagonis

Stephani, quæ obiit 15. die

Iunij.

EN, hic prima iacet matronas inter honestas
Incluta quas nostro tempore R I P A tulit.
Fida comes fatis in tristibus atq; iocosis

Semper erat proprio consociata uiro.

Prolibus in uita sex illa uirilibus aucta est

Gnatas Lucina tresq; fauente dedit,

Quos simul in uera nutriuit religione

Donec apud superos uita superstes erat.

Nunc quoq; postremam uitam dum fata reposcunt,

Hei propè dum nimium mors properata fuit,

Admonet ut cari conseruent iussa parentis,

Atq; colant uera religione Deum.

Hinc positis curis, in speq; fideq; quieuit

Sanctorum, cœli gaudia uera ferens.

AD MEROPAEAM.

O Ccurris semper mihi cincta uelamine puro
Ut fallas oculos, ô Meropæa, meos.

Si uis

EPIGRAM. LIB.

*Si uis te redamem deformem detege uultum:
Dum tegeris maius credo subesse malum.*

IN AVARVM
MERCATOREM.

(eundem)

Quid nunc dextra tenax prodest tibi: forsitan
Fortunam semper credis habere locum?
Millibus hæc multis uariè successibus errat
Constanti nunquam permanet illa pede.
En, tua præ duro quæ sunt bona parta labore
Antè quibus poteras auxilio esse tuis,
Peruigil effracta partim fur abstulit arca
Partim consumpsit feruida flamma, boni.
Nunc nihil est reliquum quo uiuas, absq; uoraci
Debitor usuram quam tibi sorte daret.
Debitor at fœnus simul & cum sorte recusat,
Ergò tibi restat nil nisi ut esurias.
Partiri probos sic discas inter amicos,
Has etenim solas semper habebis opes.

ἔτυχῶς, σὺν θεῷ.

OK The 1670

X22A2A33


IN AVA VII

ALBERTO




167





B.I.G.

Farbkarte #13



II c
1670

HAN=

RANCISCI

SIS ELEGIA=

M LIBER

RIMVS.

BERGAE.

EBANT HAERE=

S GEORGII

RHAVV.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)

S S 4

BIBLIOTHECA
ONICKAVIANA